DISSERTATIO INAVGVRALIS

DE

INVTILITATE PRAEPARATIONIS COMMVNIS AD INSITIONEM VARIOLARVM

QVAM

ILLVSTRIS MEDICORVM ORDINIS

CONSENSV ET AVCTORITATE

IN

ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA

PRO

GRADV DOCTORIS

IN

MEDICINA ET CHIRVRGIA

OBTINENDO

PVBLICE DEFENDET

LVDOVICVS ADAM. CAROLVS SCHMIDT

BEEDENBOSTELLO - CELLENSIS

DIE XXIV. MAII CIↃIↃCCLXXXII

GOTTINGAE

IN OFFICINA BARMEIERIANA.

AVVNCVLO CARISSIMO

CAROLO QVENSELL

PRAEFECTO COHORTIS

REGIMENTI PEDESTRIS

PRINCIPI FRIDERICO SVBDITI

NEC NON

PATRI OPTIMO

IOHANNI FRIDERICO SCHMIDT

CHIRVRGO REGIAE AVLAE

ET PRINCIPI CHIRVRGORVM REGIMENTI

QVARTI

STADENSIS

LIBELLVM HVNC ACADEMICVM

PIA MENTE CONSECRAT

OBEDIENTISSIMVS AVCTOR.

§. I.

Quum febrim varioloſam, mox late per agros diffuſam, medici animaduerterent, et atrociſſimas ab illa illatas clades homines ſubito correpti metuerent, optabant ſane, vt virus varioloſum vel prorſus extingueretur, vel, ſi huius rei impotentes eſſent, quantocius mitigaretur. Fuerunt, qui cautelas remediaque ſuaderent, quibus virus illud prorſus exſtirpatum crederent. Alii ſperabant, fore vt

inſitionis ope variolarum impetus in corpus humanum ſupprimatur. Qui cum perciperent, quasdam materias morboſas, antequam inſitionem inſtituerent, e corpore extrudi poſſe, illius praeparationem excogitarunt. Quamuis permulti auctores de praeparatione ad inſitionem variolarum ſcripſerint, et innumerabilem medicaminum multitudinem hunc in finem laudarint: experientia tamen nulli honorem iſtum inſignem tribuit, idque eo minus, quo magis horum inefficaciam obſeruarunt.

§. 2.

Boerhaave, Hvxham, Lettsom, Dimsdale et Fowler *) mercurium hanc dictam vim

*) Ill. Richter chirurgiſche Bibliothek. Band 5. S. 284.

vim poſſidere crediderunt: exempla vero litteris mandata ſunt, vnde apparet, mercurium non fruſtra ſolum adhibitum fuiſſe, ſed, id quod et Hvxham commemorauit, adeo nocuiſſe; dum variolas confluentes cierit, quin imo aegrotos necarit. Aſt quamuis de Haen mercurialia omnia contemnere videatur haec tamen hominibus quibusdam maximo vſui eſſe dubitandum non eſt; quoniam omnes ſe - et excretiones liberiores reddunt, vermes eiiciunt, plures acrimonias corrigunt et hac ratione multa irritamenta amouent, quae irritando morbo incrementum addunt. Idcirco quibusdam in caſibus haec adhiberi licet, nequaquam vero commune medicamentum hunc in finem aeſtimanda ſunt.

 §. 3.

§. 3.

Cottvnni *) et Lobb commendant aethiopem mineralem vel in pauco lacte vel in iuſculo dilutiſſimo aut vino modice propinato ſolutum, tamquam medicamentum tum ad praeparandum praecipue corpus tum ad expellendos vermes.

Prior **) et epiſcopus Berkley nimium aquae piceae honorem tribuunt. Cantwell et multi alii, vires eius collegerunt. Quod autem medicamentum communem non prodere vſum, malus effectus monſtrat, dum plethoricis et qui ſaburra primarum viarum laborant, minime conueniat. Eodem de vegeta-

*) De ſedibus variolarum ſyntagma. P. 73.

**) Narrative of the ſucceſs of Tarwater. Pag. 18.

getabilibus et mineralibus acidis dici poſſunt, quae, etiamſi promovendo et humores corrigendo in quibusdam caſibus vſum praebeant, tamen in omnibus adhiberi nequeunt, quaeque, ſi propinare velis, vegetabilia conducent, numquam mineralia propter nimiam vim adſtringentem.

§. 4.

Rosenstein *) pilularum praeſeruantium a ſe inuentarum, quas ex calomelano camphora extracto aloes et gummate guaiaci confecit, vim praeclaram, ſummis laudibus extollit, ex quibus tamen aegroti vilem vtilitatem ceperunt.

 Scherb

*) Anweiſung zur Kenntniſs und Kur der Kinderkrankheiten. P. 222.

Scherb *) e. g. auxilium virgini ferebat medicum dum epidemia varioloſa graſſante his praecipue pilulis vſus ſit. Aſt inter eruptionem variolarum iam ſymptomata maximae malignitatis ſeſe oſtendebant, quo factum eſt, vt iam die ſeptimo aegrota miſerrima morte extincta ſit.

§. 5.

Plures medici vlceribus artificialibus magnam vim ad mitigendum morbum tribuunt. Ipſe de Haen affert, in puero quodam variolas valde benignas fuiſſe quia vlcus obſoletum in decurſu morbi ſuppurauerat. Quod itaque vlceris artificialis locum obtinuiſſe et huius

*) Ueber die Einpropfung der Blattern. Pag. 48.

huius ope pars materiae morboſae eiecta, atque morbus imminutus videtur. An re ipſa hoc phaenomenon in corpore noſtro eueniat? Hactenus haeſitamus, quoniam effectus vlceris artificialis ſolummodo topicus eſt, variolarum vero materia per totum corpus diſperſa. Sed ponamus, vlcus artificiale certe excretioni materiarum morboſarum fauere, (id quod theoria de vlceribus artificialibus refutare videtur) et in quibusdam caſibus ad praeparationem emolumentum adferre: nequaquam tamen in quouis ſubiecto applicari poteſt; cum, quo maior eorum eſt ambitus, eo magis ſempiternis humorum effluuiis, et reſorptione ichoris magnam debilitatem, febrem lentam, atque alia ſymptomata colliquatiua produ-

producere poſſunt. Quam quidem ſententiam et Ill. RICHTER *) quam maxime a me colendus probat, ita vt aegrotus non ad variolas benignas abſoluendum ſed ad mortem ſubiendum praeparetur. Eadem cenſet Cel. MEAD **).

§. 6.

Quamquam balnea vaporis, et pediluuia, maxime commendantur, mihique perſuaſum habeo haec calida, obſeruata ſtrictura fibrarum, nimisque denſa cute, partim ad eam emolliendam, partim ad congeſtiones verſus partes ſuperiores minuendas, praeclaram vim habere:

*) Anfangsgründe der Wundarzneikunſt, Band I. 2te Aufl. Pag. 558.

**) De variolis. Pag. 70.

bere: tamen haec balnea non in quouis homine variolis laboraturo adhiberi poterunt, ſed e contrario in ſtatu corporis lento et in diſpoſitione ad putredinem nocebunt. Vnde eluceſcit haec in quibusdam tantum caſibus laudari poſſe.

§. 7.

Inter tot tantaque medicamenta hunc in vſum a ſcriptoribus oblata vnicum praecipuum locum mereri videtur, quod optes vt commune medicamentum praeparatorium magis in vſu ſit, puto antimonialia, quae Ill. Wrisberg, Richter et Stromeyer, praeceptores mei quam maxime pio animo colendi, praecipue laude digna habent. Experientia enim docet, morbum, per-

perſpiratione libera facta, mitiorem eſſe, idque praeſtant, ſi vim diaphoreticam reſpicias, antimonialia, quae quidem perſpirationem ſuſtinent, pituitam diſſipant et humores corrigunt. Vna tantum contraindicatio occurrit, quae impedit, quo minus faciliori modo propinari queant, quaeque pendet ab acrimonia acida in primis viis coaceruata; vnde accidit, vt cum hacce acrimonia coniuncta perquam facile vomitum cieant; id quod facillimo negotio prohiberi poteſt tum, ſi cum abſorbentibus coniungantur tum, ſi praeparatum ex antimonio detur, quod calcinatione vim emeticam amiſit, e. g. antimonium diaphoreticum, ab Ill. Gmelin *) praeceptore maxime vene-

*) Grundriſs der Pharmacie. §. 148.

venerando laudatum. Quod quidem antimonii praeparatum ſecundum longam experientiam Cel. Grant *) licet cum acidis coniunctum ſit nequaquam vomitum mouit.

Niſi metuerem, ne a ſcopo mihi propoſito prorſus diſcederem maiorem adhuc medicamentorum numerum ad praeparationem variolarum propoſitorum afferre poſſem.

§. 8.

Omnia haec medicamenta, quum variolae et epidemica conſtitutione et rebus ſubito ſaepe euentis varientur, in quibusdam quidem caſibus pro ipſorum varietate

*) Beobachtungen über die Natur und Heilung der Fieber. Th. I. P. 375.

rietate et diuerſa hominum natura vſum praebent, ſed tantum, ſi medicus, acuto iudicio ornatus, verum caſum diſcernere poſſit, in ſingulo quolibet emolumentum allatura ſunt, minus vero communium medicaminum praeparatoriorum provinciam ſuſtentura.

§. 9.

Hominem ad inſitionem variolarum praeparare, eſt, ipſi diſpoſitionem dare vt eo facilius et minori detrimento variolis laboret. Praeparationem communem me inuenturum arbitror ſi diſpoſitio iſta inuenta ſit, quam progenitam benignae variolae ſecuturae ſint. Aſt, cum hanc illamue corporis diſpoſitionem variolae bonae indolis ſequantur: medicum iſtam diſ-

poſi-

poſitionem aegroto dare non poſſe, quotidiana docet experientia.

Porro, nullam diſpoſitionem ad benignas variolas cognoſcimus a communi ſtatu corporis ſano variantem; et adhuc in dubio relinquitur an non materia variolarum ſuas modificationes ad varium morbum producendum habeat, neque experientia nos docuit, hanc aut iſtam diſpoſitionem maiori eſſe emolumento oppoſita; dum diſpoſitionem ipſam ad benignas aut malignas variolas in omnibus aegrotis variantem obſeruemus.

Tandem, ſigna deſcribere nemo poterit, quorum ope in quolibet ſubiecto benignas aut malignas variolas certo iudicio proſpi-

cere poſſit; ita vt ex his omnibus enarratis argumentis pateat, nos neque commune medicamentum ad inſitionem praeparatorium iam habuiſſe, neque vnquam habituros eſſe.

§. 10.

Quum nullam propriam diſpoſitionem aegroto variolis laboraturo commodam cognoſcamus, vt ad benignas variolas probe praeparetur, communem eo magis diſpoſitionem in mentem reuocemus neceſſe eſt, dico ſanitatem, optimam ſane corporis humani conditionem *), cuilibet varioloſo optabilem. Vtut enim quaecunque materia

*) Cel. STOLL Aphor. de cognoſcend. et curand. febr. p. 192. Aphor. 552.

teria morboſa corpus irritet, eiusque vires obſtruere nitatur: ita praecipue virus varioloſum vellicare, omnesque ſe - et excretiones turbare poteſt.

Quodſi itaque ſanum corpus a variolis corripiatur nec vlla alia materia morboſa vel praegrediatur et iunctim cum varioloſa agat, vel in decurſu accedat, corpus ipſum minus vexatur, febrisque lenis aut nulla deprehenditur. Praeſente contra alia materia morboſa, duplex irritamentorum genus obſervatur, quo fit vt non variolae ſolum in peiores vertantur, febrisque exacerbetur, ſed methodus etiam curandi ipſa explicata difficilior occurrat. Quae quidem tamen ſint experientia quoque do-

cemur, multos adeo morbos chronicos, hominem ſimul cum variolis ſine detrimento tenere poſſe, quin imo plures variolarum effectu ſublatos eſſe. Ita HOFFMANN notat variolas rheumatiſmos, rhachitidem, lippitudinem, febrim hecticam, tineam capitis, amenorrhoeam, et debilitatem articulorum ſubleuaſſe. Veneream materiam non ſemper variolas male mutaſſe ita vt adeo vlcera venerea harum ope ſanata ſint, ſcriptores reliquerunt *). Pituitoſam lymphae naturam correctam et glandulas obſtructas, hiſce reſolutas, MEAD **) obſeruauit. Multa experta ROSA, LOBB et TVLPIVS collegerunt.

IEN-

*) Nov. act. nat. curioſ. Tom. VII.

**) l. c. p. 59.

Jenner *) morbi hiſtoriam praecipue notatu dignam affert. Inoculabat anno milleſimo ſeptingenteſimo octogeſimo quinto in Painswik ſeptingentos et triginta octo homines a Maio vſque ad Iulium, vt extimeſcendam variolarum epidemiam, qua permulti acerba morte iam extincti erant, mitigaret. Quorum plures adulti et infantes phthiſi, ſcrofulis, febribus intermittentibus, hydrope dentitione laborantes, quin imo grauidae inter vltimum grauiditatis ſtadium, et puerperae morbum varioloſum feliciter perpeſſi ſunt. Itaque ſi haſce obſeruationes reſpicias, et ſeverum ex his iudicium depromere

*) Von einer allgemeinen Einpfropfung der Blattern zu Painswik. P. 163.

cupias, perpaucos inuenies morbos forſan impedientes, quo minus inſitionem tuto inſtituere poſſis. Cel. STOLL *) ait: "non vi„tandi morbi ſine febre a fibra la„xa, debili, quosue ipſa febris ſa„nat". Th. DIMSDALE **) bene affirmat, omnes variis malis chronicis, vel diſpoſitione ad obſtructionem glandularum et ad ſcorbutum, vel arthritide correptos; vel diſſoluto vitae genere aſſuetos, non maiore detrimento morbum ſuſtinuiſſe, ac ſaniſſimos et magis ſobrios. Itaque omnes homines morbis quibusdam affectos, antequam inſitionem inſtituas, ab his liberare

*) l. c., pag. 191. Aphor. 551.

**) The preſent method of inoculating for the Small - Pox 7the Edit. 1779. p. 12.

liberare neceſſe non eſt, quia plures morbi cum variolis eodem modo conueniunt, ac ſi homo inſitionem paſſurus, plane ſit ſanus. Id, quod Cel. Sam. Vogel *) negat, qui quamuis plura exempla afferat, vnde eluceſcit, pueros cachecticos, ſcrofuloſos, vermibus et multimodis exanthematibus laborantes, facile et ſine detrimento, variolas paſſos eſſe; quamuis exemplum narret, quod alius medicus infantem venereo vlcere infectum feliciter inoculauerit: tamen pro exceptione a regula accipit, quam nemo ſanus medicus perverſo modo ſequuturus ſit **).

§. 11.

*) Handbuch der practiſchen Arzneywiſſenſchaft zum Gebrauch für angehende Aerzte. Th. 3. p. 35.

**) l. c. p. 36.

§. 11.

Ex his omnibus apparet communia praecepta ad praeparationem omnino dari non poſſe, cum diverſa corporis conſtitutio diuerſam praeparationem requirat.

Sani ad fauſtam inſitionem nulla praeparatione egent. Quod ſi vero morbus adſit, quo variolae in peiorem gradum abire poſſint, praeparatio in eo ſolummodo conſtabit, vt priſtina ſanitas reuocanda ſit.

Rosenstein *) homines praecipue infantes ad inſitionem variolarum ſatis praeparatos ducit, qui ſueto

*) l. c. pag. 262.

ſueto tempore appetant et expergiſcantur, quorum aluus non obſtructa ſed mollis, eorumque halitus purus et animus ſerenus ſit quique corporis facilitatem ſentiant. Tandem IENNER vt ſupra dixi homines ſeptingentos et triginta ſex ſine vlla praeparatione feliciter inoculauit.

Cel. DIMSDALE *) aſſentior, medicos vili iudicio exſtructos, praeſertim cum praeparandi notio eorum animum occupaſſet, plures homines occidiſſe, quippe qui nonnulla praecepta ad praeparandum corpus ſine diſcrimine dare auderent, quique mox quoad diaetam varios cibos potusque vetarent,

 mox

*) Tracts on inoculation. p. 128.

mox ſine conſilio mercurialia aliaque medicamina praeſcriberent. Qua quidem methodo adhibita, vires aegroti debilitantur, et ipſe in magnum periculum praecipitatur. Quamuis alii ad praeparandum corpus cibos digeſtu faciles, hauſtusque vinoſos ſuadeant, qua quidem diaeta ad variolarum vsque eruptionem pergere ſolent, illum tamen praeparandi modum in quibusdam hominibus fructum quidem afferre, minime vero pro communi regula ſtare poſſe vix monitu opus eſt. Si itaque ſanitatem reſtituas, optimus praeparandi modus adhibetur, id quod et GATTI *) cenſet,

*) Neue Beiträge über das Verfahren bey der Inoculation der Blattern von Wagler herausgegeben. p. 20.

ſet, qui conſiliis omnium medicorum neglectis, praeparationem ad inſitionem variolarum plane reiicit.

Ex his omnibus apparet, ſi quis ſtatum hominis ſanum mutare conetur, hanc methodum praeparatoriam non inutilem ſolum eſſe habendam, ſed prodere etiam aliquam audaciam quin imo periculum. Igitur obſeruato ante inſitionem morbo, ille extinguendus eſt; optima ſane praeparandi methodus.

TANTVM.

THESES.

1.

In rachitide roborantia et antacida primum locum obtinent.

2.

Phrenitis et paraphrenitis tantum ſymptomata morbi ſunt.

3.

Grauiditas emetica non prohibet.

4.

Sublata cauſſa non ſemper ceſſat effectus.

5.

Si experimenta cum medicamentis ad earum virtutes indagandas inſtituas, neque corpus humanum reſpicias haec nullius ſunt momenti.

6.

Variolarum inſitio praeſente etiam epidemia varioloſa publice prohibenda non eſt.

7.

Theoria Heriſſantiana de mollitie oſſium optima eſſe videtur.

8.

Nullum paucum criticum eſt.

9.

Abuſus potuum ſpirituoſorum ad hydropem diſponit.

10.

Lienteriae cauſſa eſt motus periſtalticus nimis viuidus.

11.

Dyſenteria, rhevmatiſmus inteſtini recti et coli eſt.

12.

Is habetur optumus aegroti decubitus qui bene valentium ſimilis eſt.

13.

Aërem dephlogiſticatum aegrotis conuenire, experientia docet.

14.

Haemoptyſis emetica non prohibet.